B. N. C.
FIRENZE
1171
8

Digitized by Google

Digitized by Google

MISCELLANEE
BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
Digitized by Google

1171.5

Digitized by Google

ACHATES ISIACUS · ANULARIS COMMENTARIOLO EXPLICATUS

PRODIT

EX . MUSEO

ILLUSTRISSIMI . MARCHIONIS

ALEXANDRI · GREGORII · CAPPONII

ROMÆ

Ex Typographia Rochi Bernabò in vico ad Muratas

MDCCXXVII

PRÆSIDUM FACULTATE

1879

Digitized by Google

1171. S

Digitized by Google



A.D. Bertoli delin. A. 1727. *Hie. Fre.*

Digitized by Google

1171 S

Digitized by Google

ACHATES ISIACUS·ANULARIS EXPLICATUS

I. ACHATES anularis, capùt Iſidis, vel forte ſub ſpecie Iſidis cujuſpiam Reginæ dextrorſum adſpicientis, peregregio artificio expreſſum referens, nuper ſe dignum reperit poſſeſſorem Marchionem Alexandrum Gregorium Capponium, hujuſmodi inſignioribus priſcæ elegantiæ reliquiis conquirendis maxime deditum. Formæ Iſiacæ habitus oris, in area ſumme nigra mire candidus, collo, ſinu, labiis, genis, fronte, auribus prominens, doctos intuentium oculos, quotquot ſunt in Urbe æterna, in ſe omnes admiratione convertit. Nihil enim præſtantius in exiguo lapillo, literis nullis inſcripto, vetus cælator Ægyptius effingere poterat. Ejus modulus ſubter ipſam gemmam, arte magiſtra conterranei noſtri Danielis Antonii Bertoli, graphices peritiſſimi, & CAROLI VI. AUGUSTI gratiam jure promeriti, hoc typo grandiuſculo patefactam, inferius repræſentatur. Iſidis verticem, unionibus oblongis poſt aures ad ſinum uſque & retrorſum concinne diſpoſitis, ac deorſum inclinantibus & veluti defluentibus, contectum potius, quam redimitum vides, quem expanſis alis fovet *Numidica guttata*, ſuo poſitu quaſi mitellam, aut ſi mavis calanticam, reddens, plumarum pompa viſu longe pulcherrima, iiſdemque unionibus ſpiſſis ſupra ipſas plumas

onuſta, eo ferme ritu, quo in celeberrima Tabula Bembina, Laurentii Pignorii plurimo ſtudio illuſtrata, ſpectatur, inque pervetuſto æreo ſigno, quod ſeorſum idem vir ſummus Expoſitionis ſuæ auctario ſubjecit num. IV. alias V.

II. Hujus Achatis frontem Iſiacam, unde nullum capillitium effluit, complures ſub *Numidica* margaritæ exornant. Collo & ſinui monile circumdatur, quaterna baccarum ſerie & tribus flexuoſis circulis intermediis (utique aureis) diſpertitum: quos noſtri ſacri Scriptores *murenulas* appellaverunt. Hujuſmodi monilia, Ægyptiam artem & morem plane exhibentia, ſinum Iſidis teguntin Tabula illa Bembina, quod video obſervatum a ſpectatiſſimo, mihique amiciſſimo Senatore Philippo Bonarotio in prænobili commentario ad Vitrea vaſa antiquorum pag. 156. 157. Nihil tandem ex omni parte Iſidi illi Bembinæ æque reſpondens viſum eſt unquam, ac Gemma Capponia. Immo hanc ipſam Bembinæ Tabulæ imagini anteferas. In hac enim Iſiaci vultus, plumarum, & unionum *argutiæ* (ut phraſi utar Plinii de Parrhaſio loquentis libro XXXV. cap. X.) ſcalptæ non ſunt: quas tamen omnes in lapillo noſtro cælator expoſuit, ubi ſingula mirum in modum ſibi congruere conſpiciuntur. Eam, quam dixi, Tabulam, ex muſeo Petri Bembi Cardinalis eductam, inque Gaza regia Taurinate, quo ex Mantuana olim migravit, jam adſervatam, primus omnium viriculo expreſſit Æneas Vicus, ſcalptor eximius; primus itidem Pignorius explanavit. Stephanus Pighius, qui in Mythologia perantiqui toreumatis argentei, quatuor anni partes complexi, ait, Antonium Morillonum Tabulam Bembinam, nondum æri inciſam, depingendam curaſſe Cardinali Granvelano Antonio Perenoto Epiſcopo Atrebatenſi, eam vocat *typum ejus philoſophiæ, cujus in gratiam philoſophorum omnium præſtantiſſimi quique ſunt peregrinati*. Pignorius tamen,

men, vir modeſtus atque opido ſagax, hæc abdita atque allegorica ſe inſuper habere non diffitetur.

III. Claudius Menetrejus in Explicatione ſymbolicæ Dianæ Epheſiæ ſtatuæ, a Friderico Ubaldino publici juris facta, pag. 9. editionis 1. ex gemma quoque anulari protulit *Iſidem Phariam*, cujus verticem non una quidem, ſed tres *Numidicæ*, ſigno illi Pignoriano perſimiles, fovent. Huc pariter facit gemma anularis in Dactyliotheca Abrahami Gorlæi Parte II. num. 675. editionis Leidenſis Jacobi Gronovii. Eas aves Menetrejus *vulturis*, aut *accipitris exuvias* eſſe putavit, & ſubinde Jacobus Sponius in Diſquiſitionibus de antiquitate pag. 465. 468. *Accipitrem* alioquin apud Ægyptios Oſiridi ſacrum Pignorius in Expoſitione ſua jam adnotavit pag. 72. editionis Amſtelodamenſis Andreæ Friſii. *Numidicam* Iſidis capiti quoque incubantem vide in Harpocrate Gisberti Cuperi pag. 46. inque eburneo toreumate, quod V.C. Bonarotius ſuis Nummis Carpineis maximi moduli inſeruit pag. 70. Tithorææ, opido ad montem Parnaſſi in Bœotia regione Achajæ inter Ægæum & ſinum Corinthiacum, ubi præter Bœotiam eſt Ætolia, *Meleagridum* ferax, teſte Menodoto Samio apud Athenæum lib. XIV. cap. XX. *Meleagride* in ſacrario, omnium, quæ Græci Ægyptiæ Deæ conſtruxiſſent, ſumme venerando, conſtat Iſidi ſacrificatum. Pignorius enim ex Phocicis Pauſaniæ, qui eſt liber X. Deſcriptionis Græciæ, id obſervavit, quaſi innuens, *Numidicam*, in Tabula Bembina caput Iſidis foventem, a *Meleagride* haudquaquam diſcriminari. Ait vero ibi Pauſanias cap. XXXII. pag. 880. editionis Lipſienſis Joachimi Kuhnii, Tithoræenſes eum ſacrum Iſidis apparatum ab Ægyptiis accepiſſe, τρόπος δὲ τῆς σκευασίας ἐστιν ὁ Αἰγύπτιος.

IV. Sed multiplex inter utramque avem, *Numidicam* dico, ac *Meleagridem*, generatim acceptam, diſcrimen, non

ſatis animadverſum, intercedere mihi videtur. Hoc ex proferendis veterum teſtimoniis patebit. Primus omnium prodeat Varro, togatorum doctiſſimus. Hic in libro III. de re Ruſtica cap. IX. *Numidicas* quidem, ſive *Africanas*, & *Meleagrides*, ut minime inter ſe diſtinctas volucres, aperte commemorat. Verba ejus audiamus: *Gallinæ Africanæ ſunt grandes, variæ, gibberæ, quas Meleagrides appellant Græci. Hæ noviſſimæ in triclinium ganearium introierunt e culina propter faſtidium hominum. Veneunt propter penuriam magno*. Ita Varro. Sed aliter legit imperioſus Criticus Joſephus Scaliger, Varronis emendator, an corruptor? Sane hoc cenſuit qui Varronem ad veterum membranarum fidem antea emaculatum ediderat, Petrus Victorius, literatis monumentis vim ex ingenio abſque ullo pudore inferri, jure indignatus. Hinc æruginis cauſſa in Scaligerianis contra Victorium. Itaque Scaliger in ſuis Conjectaneis ad Varronem poſt *gibberæ*, interpunctione ſola, *Meleagridem* in Varronianis verbis ab *Africana* ſecerni exiſtimavit, propterea que aliam eſſe *gibberam Numidicam*, aliam *Meleagridem*, ut certe quodammodo ſunt, non tamen in ſenſu Varronis, adſentiente Claudio Salmaſio in Exercitationibus Plinianis to. I. pag. 611. editionis II. ubi Varronianam Scaligeri interpunctionem a Varrone ipſo refutari animadvertit, qui in eodem capite *tria* tantum genera *Gallinarum* enumeravit, I. *Villaticas* II. *Ruſticas* III. *Africanas*. Has poſtremas, quod *Meleagridum* ſimilitudinem quandam referrent, a Græcis *Meleagrides* dici arbitratus eſt Varro.

V. Hic tamen mihi ſe ſiſtit Johannes Harduinus, in notis libro X. Pliniano ſubjectis ſcribens, *Numidicam* a Varrone fieri ſimilem *Ruſticæ*. Sed non ego credulus illi. Id enim mediusfidius Varro non fecit. Vereor etiam, ut idem vir egregius recte pronunciaverit, non uni Varroni, ſed Colu-

lumellæ etiam, ſi Deo placet, & Plinio ſuo, *Meleagrides ſpeciem eſſe ex Gallinarum Africanarum genere*. Immo potius *Gallinæ Africanæ ſpecies ſunt ex genere Meleagridum*. Hoc poſtea, ni fallor, evincam. A Columella libro XIII. cap. I. *Africana, quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi* SIMILIS dicitur, non certe ipſa *Meleagris*. At ſi Varro *Meleagrides* ab *Africanis* diverſas feciſſet, jam non *tria* tantum, ſed *quatuor* Gallinarum genera conſtituiſſet: quod neutiquam fecit. Ergo Varro *Africanas* quodammodo eis *ſimiles* tantum eſſe, non eaſdem omnino eſſe cenſuit, quas Græci *Meleagrides* dicunt. Plinius quoque dum eum Varronis locum ſuis verbis retulit, *Meleagrides* propter ſimilitudinem eaſdem ferme ac *Africanas* fecit libro X. cap. XXVI. §. 38. ubi ait *Meleagrides* in Bœotia circa Meleagri tumulum pugnantes, ſimili modo ei parentare, ac Memnonides Memnoni: quas *Meleagrides* ita dictas fabulatur antiquitas, quod Meleagri ſorores, ob fratris obitum mœrore confectæ, illarum avium formam induiſſent. Vide Hyginum Fabula CLXXIV. & Natalem Comitem libro VIII. Mythologiæ cap. XXIV. ubi *Penelopes* etiam dictas narrat. Plinius in loco indicato hæc addit: *Africæ hoc eſt Gallinarum genus, gibberum, variis ſparſum plumis, quæ noviſſimæ ſunt peregrinarum avium in menſas receptæ*. His verbis Plinius recte Varronem expreſſit. In cauſſa vero, quam ſubjungit, *propter ingratum virus*, non bene, uti ominor, Varronem expreſſit, quod infra apparebit. Interim *Afra avis*, eadem ac *Numidica* ſic generatim dicta, paſſim occurrit. Rurſus audi Plinium lib. x. cap. XLVIII. §. 67. *Numidicæ* (antea recenſitæ) *in parte Africæ Numidia, omneſque jam in Italia*. Hadrianus Junius in Nomenclatore pag. 45. *Numidicam in plumis nigrantes rhombos* habere tradit, *inque iis adſperſas albas guttulas*, atque in ſumma eam eſſe, quæ *Gallina Pharaonis* voci-

citatur. *Rhombi* tamen, figuræ quadrangulæ, nulli ſunt in noſtra *Numidica*. Hanc Horatius Epodon ode II. v. 53. *Afram* vocat, cumque *Attagene*, ave, ut helluones norunt, lautiſſima, quam *Francolinum* vulgo appellamus, ita componit:

Non Afra avis deſcendat in ventrem meum,
Non Attagen Jonicus.

Ad quem locum præter Porphyrionem adeundus eſt vetus interpres a Jacobo Cruquio vulgatus pag. 255. col. 2. *Afra avis* (inquit) *Gallina Numidica, quæ magna eſt & pinguiſſima: quam & Garamantiam vocant, & Africanam*. Conſonat Publius Syrus apud Petronium in Satyrico cap. LV. *Gallinam Numidicam* alienæ gulæ paſcendæ nutriri teſtatus, & Juvenalis Satyra XI. v. 142. ubi delicatis ganeonum cibis non aſſuetum, ſed tantum vulgaribus paſtum, ignorare ait avis *Africanæ* præſtantiam:

nec latus Afræ
Novit avis noſter tirunculus, ac rudis omni
Tempore, & exiguæ fuſtis imbutus ofellæ.

Anne hoc eſt *Numidicæ* tribuere *ingratum virus*? Ad lacum circa Mercurii promontorium in Africa *Meleagrides* reperiri, alibi vero nuſquam, niſi inde exportatas, auctor eſt Scylax in Periplo pag. 52. editionis Oxonienſis Johannis Hudſonii. Martialis *Afras* aves perſæpe memorat, ſemperque epulis delicatis adnumerat. Libro enim XIII. Epigr. LXXIII. ſic eas innuit:

Anſere Romano quamvis ſatur Hannibal eſſet,
Ipſe SUAS *nunquam barbarus edit aves;*

ideſt *Numiditas*, tunc forſan barbaricæ gulæ nondum notas.
Li-

Libro III. Epigr. LVIII. Romæ in villa Fauſtini fuiſſe dicuntur

Et picta perdix, Numidicæque guttatæ.

Sunt enim pennæ harum nigræ, *albis guttis* tanta venuſtate conſperſæ, ut ſpectatores in admirationem rapiant. Idem vates Hiſpanus infra Epigr. LXXVII. ad Bæticum:

Nec Libye mittit, nec tibi Phaſis aves.

Etiam libro XIII. Epigr. XLV. quæ paſſim *Afræ* & *Numidicæ* aves dicuntur, ipſe *Libycas* dicit:

Si Libycæ nobis volucres, & Phaſidis eſſent:

Petronius quoque cœnam illam opiparam ſui Trimalchionis laudans cap. XCIII. Phaſianos, palato jucundiſsimos, cum *Numidicis* componit:

Ales Phaſiacis petita Colchis,
Atque Afræ volucres placent palato.

Eodem reſpexit Manilius libro V. Aſtronomicorum V. 369.

Jam ventri longius itur,
Quam modo militiæ. Numidarum paſcimur oris,
Phaſidos & damnis.

Ait nimirum Romanos, ut optimis avibus *Phaſianis* & *Numidicis*, magno emtis, ingluviem ſaturarent, extremas Colchidis & Numidiæ oras penetraſſe, quo necdum armis pervaſerant.

VI. Sed aurem vellit Samuel Bochartus in Hierozoico libro I. cap. XIX. ratus, non ſatis conſtare quid proprie ſint *Meleagrides*, licet Varro *Gallinas Africanas* eas eſſe dixerit, quas Græci *Meleagrides* dicunt. *Africanas nuſquam alibi* exſta-

exſtare,quod addit Bochartus,pariter falſum. Siquidem Plinius & Martialis auctores nobis ſunt ſuo ævo eas in *Italia* exſtitiſſe, ne jam memorem *Meleagrides* quoque habitas in inſulis Electridibus ante Padum. Has tamen Strabo ad fabulas ablegavit lib.v. Geographiæ pag.215. editionis regiæ Pariſienſis. Ludovicus Nonnius libro II. de re Cibaria cap. xxv. *Numidicas* corpore Gallinas noſtras vix excedere ait; ſed eis crura longiora eſſe. Columella *Numidicis rutilam galeam & criſtam in capite* adſignat. Neutra in *Meleagride*, eodem teſte, *rutila*; ſed utraque *cærulea* eſt. Suetonius tandem in Caligula cap. xxii. *Meleagridem* & *Numidicam* duas facit, volatilium hoſtias minime obvias, quibus eidem Auguſto, ſeu monſtro, ſacrificaretur, ſingulatim enumerans: *hoſtiæ erant* (inquit) *phœnicopteri, pavones, tetraones, Numidicæ, Meleagrides, Phaſianæ, quæ generatim per ſingulos dies immolarentur*. Ne vero Ægypto ipſi *Meleagrides* defuiſſe dicamus, præſto eſt Callixenus Rhodius apud Athenæum lib. ix. cap. ix. Ptolemæi Philadelphi Alexandrinam pompam deſcribens, in qua *Meleagrides* cum aliis avibus, æque præſtantibus, caveis clauſas, & ob decoram plumarum ſpeciem, ut auguror, adſpectu admirandas, vidiſſe ſe narrat. Namque multas illis in oris *Meleagrides* volitaſſe,teſtes ſunt Artemidorus apud Strabonem libro xvi. pag. 769. & Agatarchides in Periplo pag. 54. editionis Hudſonii. Hæc de *Numidica*, deque *Meleagride* literarum monumentis conſignata reperimus. *Meleagridem* porro nutriri in locis paluſtribus, nec prolem amare, ſed negligere, & magnitudine ſua *Gallinam* communem æquare, teſtis eſt Clytus Mileſius apud Athenæum lib. xiv. cap.xx. qui præterea eidem aptat caput *glabrum*, & quam pro modo reliqui corporis amplius; criſtam carnoſam *lignei coloris*, duram, rotundam, inſtar clavi ſuper caput exſtuberantem; ad malas quaſi bar-

bam

bam pendentem. Iſaacus Caſaubonus Animadverſionum libro XIV. cap. XX. ſe de *ligneo colore* egiſſe ait in libro ſuo de *Coloribus*. Hæc quiſque agnoſcit *Gallinis* iis convenire, quas vulgo *Indicas* vocamus, inquit ibidem Caſaubonus; licet ego in his *colorem* iſtum *ligneum* diſcernere nequaquam poſsim. Alii *Gallopavos*; nos Itali *Gallos Indicos*, & *Gallinaceos* vulgo dicimus, non quod ex *India* primum advenerint; in Bœotia enim, Ætolia, & Græcia eas aves paſſim naſci, jam dictum; ſed quia quicquid huc tranſmarinum advehitur, obſervante Salmaſio, *Indicum* vulgo appellatur. Julius Cæſar Scaliger in Exercitatione CCXXXVIII. contra Cardanum, *Meleagridi* hos habitus peculiares adſignat, *Gallinæ Indicæ*, præter *ova*, nequaquam aptandos,

1 *Paluſtris*
2 *Fœtus negligens*
3 *Viroſa carne*
4 *Ova punctis notata*
5 *Ætola*

VII. At contra exſurgit Johannes Rajus, qui ad Franciſci Willughbeii Ornithologiam, Londini vulgatam A. D. 1676. lib. II. cap. X. §. III. pag. 113. *Meleagridem* cum *Gallopavo* unam facit. Tabula vero XXVI. pag. 115. *Gallinam Guineam* ob oculos ponens, eam eſſe dicit, quæ *Gallus Mauritanus*, & *pulcherrima avis* vocatur a Conrado Geſnero. *Pileo* inſuper *nudo* ejus formæ illam tegi refert, quo tegitur Dux Venetiarum. Eam eſſe præterea maculis inſtar ovorum plenis & rotundis toto corpore, inque ſingulis etiam plumis & pennis, ſparſam. Rajus deinde in eadem Tabula XXVI. *Gallinæ Africanæ* cum *Guinea*, & *Numidica guttata* nihil eſſe contendit. Geſnerum tamen in Hiſtoria animalium lib. III. pag. 462. 463. 464. de *Meleagride*, *Gallina* *Afri-*

Africana ſeu *Numidica*, & *Gallopavo*, tanquam de avibus inter ſe probe diverſis agentem conſule. Salmaſius *Indicas* noſtras *viroſa carne* non eſſe jam ſenſit; nec *paluſtres* quidem certe, nec *fœtus negligentes*. Ova rubris *punctis notata* eis recte conveniunt. Sed *viroſa caro* ne *Numidicis* quidem convenit. Quippe antiqui Scriptores harum carnes cum maxime delicatis lautiſque, cumque *Phaſianis* ipſis, plerique omnes conferunt, uno Plinio excepto. Plinius enim dictum illud Varronis, *propter faſtidium hominum*, quod ſatietatem aliarum eſcarum denotat, de *Numidicæ* avis carne, quaſi *ingrati ſaporis*, capiendum exiſtimavit. Sed hoc Varro non ait; immo ait, *Numidicas* aves *noviſſimas* in menſis viſas, poſtquam ſcilicet Romani ceterarum avium eſum, ut nimis communem, *faſtidire*, eoque ſatiari cœpiſſent; non quod *Numidicas* ipſas ob *ingratum virus*, ideſt *ſaporem*, antea faſtidiviſſent: quas potius ob *penuriam* ignorabant, & propterea *magno veniebant*. Neque ideo *ſola raritas & pretium augebat, & menſis admovebat*, ut nimis propere viſum eſt Harduino in notis ad Plinium. Etenim ſapor optimus rariſſimæ avis, exſquiſitiſsimis eam & quibuſque avibus comparandam maxime commendabat. Hoc diſerta veterum teſtimonia loquuntur. Varro, Horatius, Publius Syrus, Manilius, Petronius, Martialis, Juvenalis ad unum omnes hoc dicunt. Ergo Plinius de *Numidica* loquens humani aliquid paſſus eſt, niſi ejus verba in mendo, vel interpolatione cubare malimus. In *Phaſiano* & *Attagene*, quibus, ut vidimus, *Numidica* ſit par, nemo ſane *ingratum virus* unquam deprehendit. Superiora Varronis verba ita capienda omnino arbitror. Quare Salmaſii conatus in Varronianis & Plinianis verbis ſollicitandis hic plane evaneſcunt. Non eſt prætereundus hoc loco Petrus Caſtellanus, qui in libro IV. cap. VI. de Carnium eſu *Numidicas*

duas

Digitized by Google

duas vidiſſe ſe ait, *minores* Gallinis Indicis, gibberas, nulla criſta inſignes, pelle tamen inveſte rutilas, & quaſi galea munitas; palearia ſatis ampla & igneo rubore micantia ex imis maxillis ſurſum erecta mox reflexa ferentes; plumas guttis albis ordinatim, quaſi lucentibus gemmis, perfuſas.

VIII. Sed quædam ingerit Caſtellanus, quæ *Numidicis guttatis* non quadrant. Tradit enim geminam ſuam avem, quam *Numidicam* credit, Gallinis fuiſſe *minorem*. At contra Varro *grandem* eſſe *Numidicam* dicit; *magnam* vero & *pinguiſſimam* vetus Horatianus interpres. Nec ſane, ſi parva eſſet, totum caput Iſidis quaquaverſum ſovere poſſet. Ad hæc *Numidicæ* in Iſiacis monumentis, quorum omnium ſumme conſpicuum eſt noſter Achates, nulla *palearia* ſurſum e maxillis erecta ſpectantur, nulla *galea*, nulla *pellis inveſtis*. *Guineam* igitur, aut ſane quampiam aliam avem a Caſtellano deſignari autumo. Optime nihilominus in tranſcurſu hæc ab eodem ſcripta comperio: *tamen* (*ſi verum amamus*) *omnes illæ volucres, quas memoravi, ſpecies ſunt Meleagridum*. Verum utique amandum eſt nobis. Ita eſſe, ut ait Caſtellanus, pro certo habeo; atque hinc variæ ſcriptorum ſententiæ in concordiam redigi poſſunt. Volucres autem illæ, quas Caſtellanus memoravit, hæ ſunt: *Meleagrides*, *Guineæ*, *Numidicæ*, quaſque ipſe falſo *Numidicas* dixit.

IX. Itaque *Meleagris* eſt genus avium tranſmarinarum, quo multæ aliæ, interque ſe probe diſtinctæ ſpecies, comprehenduntur. Una ex his eſt *Africana* ſive *Numidica guttata*. Caſaubonus libro XIV. cap. XXIII. *Nomadem* quoque ab Athenæo, quod ceteroqui perinde eſt, vocari animadvertit; quam jure ſuo *columbam* interpretatus eſt Jacobus Dalechampius. In hanc unam ceterarum *Meleagridum* habi-

habitus & formæ quæpiam ſingulares, non a recentioribus tantum, ſed ab antiquis pariter aliquando collatæ, propterea que cum ea confuſæ omnes. Unus Achates Capponius, auro contra æſtimandus, *Numidicam* ex reliquo *Meleagridum* cœtu ereptam præcipue diſtinguit. Caput, ſi cum reliqui corporis magnitudine componatur, exiguum in ea eminet, roſtro nonnihil adunco. *Guttatam*, *grandem*, *gibberam*, & *pinguem* etiam, ſi *guttatis* plumis leniter tumeſcentibus fides haberi velit, nemo eſt qui ſtatim in Gemma non videat. Nulla *criſta*, nulla *galea rutila* verticem tegit: quod tamen de *Numidica* ait Columella, utramque (*criſtam* & *galeam*) *Meleagridi* non *rutilam*, ſed *cæruleam* ſpeciatim tribuens; niſi potius in plumarum *colore*, quam in plumis ipſis utramque, *criſtam* nimirum & *galeam*, conſtituere voluerit: qui color *rutilus* in area ſumme nigra Achatis noſtri, inque ceteris ſignis Iſiacis diſpici nequit; licet vix putem indicium ſaltem aliquod ejuſmodi *criſtæ* & *galeæ* in *Numidicæ* capite adumbrando cælatorem non fuiſſe additurum, ſi reapſe eas quomodocumque habuiſſet. Itaque *Numidicam* inter ceteras *Meleagrides*, quantum ex veterum monumentis, & præſertim ex noſtra hac Gemma colligere poſſumus, hæc ſingulatim diſtinguunt:

1 *Eſt grandis*
2 *Pinguiſſima*
3 *Lauti ſaporis*
4 *Guttata*
5 *Gibbera*
6 *Similis Meleagridi*

X. Hac ergo *Numidica*, ut victima longe exquiſitiſſima, ſub nomine *Meleagridis* Iſidi ſacrificatum apud Pauſaniam, quemadmodum eadem ave Caligulæ ſacrificatum tradit

tradit Suetonius. Luxus enim in ſacrificiis etiam quæſitus. Iſidis quoque capiti ornando, eam, ut vario ſpecioſoque plumarum colore & concinnitate longe pulcherrimam, incubare, ipſa res loquitur.

XI. Præterea in Achate *cauda brevis* & *quaterno* pennarum ordine inſtructa conſpicitur. Supra dorſum, capiti Iſiaco imminens, *tres globuli* exſurgunt. *Ternarium* vero numerum ex antiquis ſcriptoribus in gentilium ſacris uſitatum, vide apud Johannem Meurſium in Denario Pythagorico cap. v. Caudam *brevem* exhibet etiam Tabula Bembina, non tamen *quaterno* plumarum ordine, ſupraque dorſum non *tres globulos* refert, ſed quaſi modiolum, ſive *ceſticillum*, ut vocat Pignorius pag.43. Inde folium utrinque, interque duo cornua ſcarabæus ſurſum erigitur. Hæc omnia in ſua *Menſa Iſiaca*, Ægyptiorum myſteriis referta, diducto ſipario ſingulatim aperuit optimus & præſtantiſsimus ille Pignorius. Folia oblonga, quæ diximus, ad *Perſeam* plantam ille traduxit: qua in re tutiſsimum vadem habet Ezechielem Spanhemium magni operis tomo 1. Diſſertatione vi. pag. 302. & 303. ubi inter plantas *Perſeam* & *Lotum*, utramque Iſidi æque ſacram, dijudicat. *Loti* flos & *fructus* quum ſint *circulares* & *rotundi*, trigeminus ille *globulus*, dorſo *Numidicæ* inſidens, fructus *Loti* in Achate Capponio repræſentat. Jamblichus enim ſect. vii. cap. iI. de Myſteriis Ægyptiorum pag. 151. editionis Oxonienſis Thomæ Galei, omnia in *Loto* circularia eſſe docuit. At contra, *Perſeæ* Ægyptiæ fructum oblongum tribuit Theophraſtus in Hiſtoria plantarum libro iiI. cap.iI. Utrumque, *Lotum* & *Perſeam*, video in antiquo Nili toreumate eburneo quod Senator Bonarotius, præclarus teſtis a me alias adductus, ſuis Nummis Carpineis admiſcuit pag. 328. Uterque etiam fortaſsis in nummo apud Pignorium ſpectatur pag.81. *Lotus* Niloticus quan-

ta

ta in religione Ægyptiis haberetur, ex horum monumentis quiſque jam didicit. *Nilum* enim, ut *Jovem*, ob utilitates ex eo in Ægyptum manantes, coluerunt. *Jovis* habitu adumbratum exhibet nummus Titi apud Johannem Triſtanum in Commentariis hiſtoricis de Imperio Romano to. 1. pag. 307. Iſis ipſa *Deæ Nilotidis* elogio honeſtatur in priſco marmore, quod pereruditus amicus noſter Antonius Franciſcus Gorius nuper edidit in Inſcriptionibus Florentinis pag. 379 Pignorius ceteros globulos, guttaſque *Numidicæ* avis, quæ Iſidis caput circumtegunt, ad Oſiridis etymon, quem, ex Euſebio in Præparatione Evangelica libro III. cap. II. Iſidis maritum, fratrem & filium putaverunt, referri indicavit, quemque, ex eodem Euſebio libro I. cap. VI. conſtat, apud veteres *multioculum*, πολυόφθαλμον, ſignificaſſe, ut eximius Tabulæ Bembinæ, ſeu *Menſæ Iſiacæ*, enarrator jam vidit. Pignorium libentius advoco ad partes, quam Johannem Georgium Herwartum Maximiliani Bojorum Ducis ſummum Cancellarium, qui arcana quædam nautica, & profecto magnetica, antea ignorata, in Tabulæ illius penetralibus deliteſcentia ſibi videre viſus eſt, libro conſcripto, quem *Admiranda ethnicæ Theologiæ myſteria propalata* dici voluit, a Friderico fratre vulgatum Ingolſtadii A.D. 1623. Huic ante præmiſerat *Theſaurum hieroglyphicorum*, ratus ei pretium augeri Tabula Bembina. Vide Marcum Velſerum, magnæ eruditionis & judicii virum, Caſaubono de Herwarto affini ſuo in aurem loquentem inter ejus epiſtolas pag. 669. col. 1. editionis novæ. Nunquam vero deſunt anxii, & ſuaves certe, peregrinæ laudis aucupes, qui ſui ingenii feſtivo quodam amore capti, inque judicio parum ſobrio, non uni Herwarto, ſed Johanni Goropio Becano, Olao Rudbeckio, aliiſque ingenioſe eruditis perſimiles, abſurda quæque alacriter ſibi confingant, eaque

non

Digitized by Google

non probantes, ſuæ gloriæ invidos putent. Hos uno verbo literarios Narciſſos, ſemetipſos depereuntes, amœniter cum homine hilari, nec forſan male, appellaveris. Quod de *Herwarto* diximus, hoc pariter ex ejus epiſtolis ad Hieronymum Aleandrum juniorem datis, necdum editis, ſatis deprehendimus. His omnibus tamen in inſano hoc ſtudio præiverant ſæculo xvi. Guillelmus Poſtellus, & Petrus Franciſcus Jambullarius, qui ut ignorabilem veterum Etruſcorum linguam ex Arameo Ebræorum fonte derivarent, pro ſua perſpicacia res opido miras & nunquam prius excogitatas commenti ſunt, propterea a ſagacioribus Florentinis deridiculo habiti, & patrio Tuſcorum epigrammatum aceto perfuſi. Nemo enim paullo ſapiens ſomnia ſua literis unquam ſerio committere viſus eſt. Quis vero Poſtelli ſomnia non audiit? Nihil hactenus de origine Etruſcorum æque ſanum & cautum omnino lectum, ac ea, quæ nuper, ſpretis Arameorum nugis, vulgavit omnis antiquitatis propius diſpiciendæ arbiter oculatiſſimus noſter Bonarotius in explicationibus & conjecturis ad Monumenta Etruſca, operi Dempſteriano ſubjecta. In hanc rem vide §. xlvii. pag. 103. ubi primævos illos Etruſcos Ægyptiorum ſobolem facile dixeris cum viro docto, qui tamen pro ſua modeſtia *divinationis* vocabulo utitur.

XII. Memini me dicere initio hujuſce Commentarioli quampiam Ægyptiorum *Reginam* ſub forma *Iſidis* in Achate Capponio fortaſſe cælatam. Hoc inde juvari poſſet, quod Reges & Reginæ Syrorum in Seleucidarum nummis *Dii*, *Deæque* dicantur. Cleopatra, Demetrii II. uxor, *Dea*; Regina Stratonice, *Venus*; Cleopatra ultima Ægyptiorum Regina, *Dea nova*; Hadriani Auguſti uxor Sabina, *Ceres* dicta occurrit apud Spanhemium tomo I. Diſſertatione vii. pag. 421. 422. Eum vide etiam to-

tomo II. Diſſertatione XI. pag. 288. 289. ubi Juliam Auguſti, *Venerem* appellatam; Fauſtinam matrem, *Cererem*; & forma quidem *Cereris*, atque alibi inſtar *Cybeles* ſcalptam invenies. Fauſtina Auguſta ſub figura *Iſidis* viſitur apud Triſtanum tomo I. pag. 673. Senator Bonarotius in commentariis ad Nummos Carpineos pag. 40. ex Plutarcho in M. Antonio *Cleopatram* ipſam *novam Iſidem* dictam, innuit jamdudum: quod libenter memoro. Nihil enim turpius exiſtimo, quam virorum illuſtrium obſervata, iis illaudatis, ſibi tribuere: quod factum alias offendimus. Hoc certe vix quicquam levius ac inverecundius fieri poſſe arbitror. Etenim primigenia literarum monumenta facile omnibus quidem patere poſſunt, non tamen omnes ea legunt: quique legunt, non omnes eadem in iis vident, ſed obſervationes ſuas quiſque ſibi procudit. Has vero clam ſuas facere, & ſuppreſſis illorum nominibus, qui eas ante procuderant, pro ſuis venditare, pauperis & illiberalis animi eſt. Sed de Achate Iſiaco ornatiſſimi atque optimi amici noſtri Marchionis Capponii jam ſatis.

Romæ ex ædibus palatinis in Quirinali die XX. Octobris anno MDCCXXVII.

J. Archiepiſcopus Ancyranus.

1171. 8
E

1171.5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google